

1511 bus, eum tandem missum fecissent, demum etiam revocavissent, neque tamen convenire inter ipsum atque illos posset, a Senatu revocatus ad urbem rediit.

Ac domi quidem magistratibus comitia habentibus, Bartholomæoque Mustio qui amanter Patavium prefectus tuendo oppido cum triginta militibus sua impensa, ut supra dictum est, reipublicæ operam dabat, senatore tanta civium voluntate declarato, ut multo ipse majore suffragiorum numero, quam ullus ex suis competitoribus, id muneris adeptus esset: tametsi magna illorum pars in eo magistratu sœpius fuerint, quæ res maxime adversaria solet esse iis, qui idem petunt: Lauredanus Dux ad cives conversus ejusmodi sermonem habuit: *Lætari se plurimum, quod ipsi favore suo atque benivolentia eos in primis cives prosequantur, suffragiaque sua iis honestandis conferant, qui communi commodo inserviunt, seque pro patria periculis obiiciunt, & impendia rei familiaris eredo animo sustinent.* Itaque, inquit, non omnino Deos immortales iratos nobis esse atque adversos puto, cum hanc vobis mentem datam, atque hunc ab illis sensum videam; ut qui amore patriæ in labores in discrimina se sedant, maxime dignos vestris muneribus existimetis, atque illis qui minus id faciunt, præferendos vestris sententiis judicetis. Gratulorque Mustio, quem hoc honore amplificavistis: quo quidem gavisurum eum puto in illis suis laboribus longe magis, quam si omnibus commodis affluens plurimis in voluptatibus versaretur, summaque vita securitate frueretur. hoc est enim vere vivere, prodesse patriæ, defendere rempublicam, tueri cives suos, vitam sine libertate minimi facere, etiam præferre mortem servituti. hæc qui secum reputat, qui sentit, ille mibi præstans & magnus civis videtur, ille dignus in quem unum a sua civitate omnia studia, omnes honestates conferantur. Hæc vos cives, mea mihi vita chariores, dies atque noctes cogitare oportet, ut Mustio similes, cum usus erit, patriæ laboranti succurratis. quod si feceritis, & illa beneficiorum & laborum vestrorum memor, omnes suas